

OB 12



INDEX LECTIONUM

IN

LYCEO REGIO HOSIANO BRUNSBURGENSESI

PER AESTATEM

A DIE XVII. APRILIS ANNI MDCCCLXXI.

INSTITUENDARUM.

PRAECEDIT **PROF. DR. FRANC. HIPLER**, DE THEOLOGIA LIBRORUM QUI SUB DIONYSII AREOPAGITAE
NOMINE FERUNTUR. PARTICULA PRIMA.

Brunsburgae,

TYPIS HEYNEANIS.

1871

INDEX LECTIOMUM

IX

LYCEI REGII HOSIANI BRUNSBURGENSIS

PROFESSOR

A DIE XVII APRILIS ANNI MDCCCXXI

LYCEI REGII HOSIANI H. T. PRORECTOR

DR. LAUR. FELDT,

PROFESSOR PUBLICUS ORDINARIUS.

KSIĄZNICJA MIEJSKA
IM. KOPERNIKA
W TORUNIU

~~Stadtbibliothek~~
Chorn

AB 1472

3. Circumferuntur autem sub nomine Dionysii Areopagitae opera haec:
a. De divinis nominibus liber (D.), qui 13 capitulis singulis quibus Deus in sacris scripturis
appellatur nomen, eorum vius et usum edisserit atque sacrati introductione de nominum
divisionum significacione (c. 1-3), de hominum, veritatis, pulchritudinis, expositioe oritur (c. 4-7).
Tunc quaedam de ordine mali, munditatis, nominis, omnia (c. 8), vitae (c. 9), sapientiae, veritatis,
(c. 10), virtutis, iustitiae, salutis et redemptioe explicat (c. 11), atque cur locus iustitiae et

LYCEI REGII HOSIANI BRUNSBERGENSIS

RECTOR ET SENATUS

CIVIBUS SUIS

S.
1. Theologorum praestantiorum tum medii tum recentioris aevi opera attente qui perlegerit, non poterit profecto, quin observet, omnes in unum virum tanquam primum vitae spiritualis magistrum atque scholasticae mysticaeque theologiae patrem summa cum veneratione aspicere, in illum videlicet autorem, cuius sub nomine Dionysii Areopagitae vulgo circumferuntur opera. Quae sub finem saeculi IV nostro quidem indicio conscripta, sub initium vero saeculi VI. primum in synodis ecclesiasticis prolata tam miram deinde et prorsus singularem experta sunt sortem, ut Terentiani Mauri illud: „habent sua fata libelli“ an in nullos alios libros maiore cum iure afferri possit, haud sciamus. Per tredecim enim, quae exinde lapsa sunt, saecula a doctissimis theologis iterum atque iterum lecta et pervoluta, pro genuinis nunc et fere coelestibus patris apostolici foetibus, nunc pro haeretici cuiusdam impostoris miseris lucubrationibus, ex variorum autorum scriptis sine arte et ingenio contextis habita innumeris fere difficultatibus enodandis quaestionibusque solvendis tam lubricam semper quam feracem praebuerunt ansam.

2. Unde et nos, quum quae fuerint revelationis divinae ab humana ratione recipiendae inde ab initio fata atque sortes scrutaturi brevi in libros nostros incideremus, in eorum lectione et studio diutius insistendum esse duximus, pro viribus collaturi, ut illa quibus velantur mysteria vere Dionysiaca quodammodo revelentur et libri ipsi, qui sub ominoso Areopagitae nomine huc usque circumlati viris doctis per tot saecula campus Martius quidam exstiterunt, in campum pacis denique, non contra mentem auctoris profecto, converterentur.

Hunc ad finem simplicissimam ingressi viam opera Areopagitica ipsa quum in solvendis quae hic oriuntur quaestionibus historico — criticis pro vero et unice securo fonte alibi habuimus¹⁾, tum hac oblata scribendi opportunitate eorundem librorum testimoniis ad delineandam theologiam Dionysiacam ita uti est in animo, ut quid in dogmatis christianis explanandis et in systema quoddam componendis, in viis, quae ad Dei unionem perducant, ostendendis, in ritibus ecclesiasticis describendis et interpretandis auctori nostro fuerit proprium et singulare secundum eius mentem, fideliter quantum fieri potuit etiam verba haud raro sesquipedalia et fere barbara secuti, eruamus.

¹⁾ Commentatione Ratisbonae a. 1861 edita sub titulo: Dionysius der Areopagite. Untersuchungen über Aechtheit und Glaubwürdigkeit der unter diesem Namen vorhandenen Schriften.

3. Circumferuntur autem sub nomine Dionysii Areopagitae opera haec:

- a. **De divinis nominibus liber (D.)**, qui 13 capitibus singula quibus Deus in sacra scriptura appellatur nomina, eorum vim et naturam edisserit atque generali introductione de nominum divinatorum significatione (c. 1—3.) a bonitatis, veritatis, pulchritudinis expositione orditur (c. 4.). Tunc quaestione de origine mali enucleata nomina entis, (c. 5.) vitae, (c. 6.) sapientiae, veritatis, (c. 7.) virtutis, iustitiae, salutis et redemptionis explicat, (c. 8.) atque cur Deus magnus et parvus, idem et alius, mobilis et immobilis, similis et dissimilis dicatur, (c. 9.) cur nominetur aequalis, omnitenens, antiquus dierum, sempiternus, (c. 10.) cur quies et pax, (c. 11.) cur sanctus sanctorum, rex regum, dominus et Deus Deorum (c. 12.) et quae denique sit eius perfectio et unitas explicat (c. 13.).
- b. **De coelesti hierarchia liber (C.)** i. e. tractatus theologicus de angelis 15 capitibus absolutus et Timotheo presbytero, (*συνπρόεδρος πρεσβυτέρω*) sicut et reliqui omnes infra nominandi, nuncupatus. In quo libro, praemissa oratione ad D. N. I. Ch. et explicata notione hierarchiae, (c. 1—3.) de angelorum nominibus, (c. 4—5.) ordinibus et muneribus, (c. 6—13.) de eorum numero (c. 14.) et de corporeis quibus in sacra scriptura repraesentantur figuris (c. 15.) uberius agitur.
- c. **De ecclesiastica hierarchia liber (E.)** in quo, discrimine inter ecclesiasticam et coelestem hierarchiam indicato, (c. 1.) de sacramentis baptismi (c. 2.) et eucharistiae, (c. 3.) de sacri unguenti seu chrismatis consecratione, (c. 4.) de ordinatione sacrorum ecclesiae ministrorum, episcopi sc., presbyteri et diaconi, ac de solempni monachorum professione (c. 6.) articulatum disputatur. His accurata in capite septimo eodemque ultimo subiungitur descriptio et expositio ceremoniarum, quibus mortuorum corpora sepeliebantur.
- d. **De mystica theologia liber (M.)** capitibus 5 demonstrat, Deum inaccessa caligine absconditum (c. 1.) non tam affirmationibus (c. 2.) quam negationibus (c. 3.) cognosci posse, hortaturque, ut neglectis et abdicatis rebus sensibilibus (c. 4.) et intelligibilibus (c. 5.) per mysticam unionem, Deo abscondito uniamur.
- e. **Decem epistolae** Dionysii Areopagitae nomen praeferentes, (Ep. I—X.) similia fere argumenta maxime ex theologia mystica tractantes, his quatuor auctoris nostri libris subnectuntur.

4. Haec opera²⁾, quae idem genus scribendi, eadem sententiarum sublimitas et elatio in universum saltem ab eodem autore profecta esse probat, sola usque adhuc supersunt. Plura autem, neque ea minimi momenti, si auctori ipsi fides habenda est, temporum iniuria perierunt; ipse enim auctor in iis qui supersunt libris 8 aliorum facit mentionem, quos iam saeculum VIII perditos dolebat, librorum videlicet, 1) de divinis hymnis, 2) de ordinibus et natura angelorum, quod nonnulli idem opus cum coelesti hierarchia esse putant, 3) de anima, 4) de intelligibilibus et sensibilibus, 5) de iusto et divino iudicio, 6) de theologia symbolica, 7) de legali hierarchia, 8) de theologiceis informationibus.

5. Duodecim ergo, omissis epistolis, tractatus theologici ab auctore nostro profecti sunt et quidem, si ipsum audimus, hoc ordine chronologico:

- 1) Theologicae informationes (*θεολογικαὶ ὑποτυπώσεις*) cf. D. I, 1 et 5. II, 1 et 7. XI, 5. M. III.
- 2) Hymni divini (*θεῖοι ὕμνοι*) cf. C. VII, 4.
- 3) De ordinibus et natura angelorum (*περὶ τῶν ἀγγελικῶν ἰδιοτήτων καὶ τάξεων*) D. IV, 2. E. I, 2.
- 4) Coelestis hierarchia (*περὶ τῆς οὐρανιας ἱεραρχίας*) D. IV, 2. E. I, 2.
- 5) De anima (*περὶ ψυχῆς*) D. IV, 2.
- 6) De intellectibilibus et sensibilibus (*περὶ νοητῶν καὶ αἰσθητῶν*) E. I, 2. III, 3, 2.

²⁾ Cf. Dionysii Areopagitae opp. ex editione Corderii. Antwerp. 1634. II. vol. fol., qua editione semper utimur.

- 7) De iusto et divino iudicio (περὶ δικαίων καὶ θεῶν δικαιωτηρίων) D. IV, 35.
 8) De divinis nominibus (περὶ θεῶν ὀνομάτων) M. III.
 9) Theologia symbolica (συμβολικὴ θεολογία) D. I, 8. IV, 5. IX, 5. C. XV, 6. M. III.
 10) Legalis hierarchia (περὶ τῆς κατὰ νόμον ἱεραρχίας) E. IV, 3, 10. V, 1, 2.
 11) Ecclesiastica hierarchia (περὶ τῆς ἐκκλησιαστικῆς ἱεραρχίας) E. I, 2.
 12) Mystica theologia (περὶ τῆς μυστικῆς θεολογίας).
6. Qui auctoris nostri libri quamvis non perfectam prae se ferant systematis theologici formam, tamen omnes s. theologiae partes et disciplinas ita illustrent talique nexu ab autore ipso saepius significato inter se cohaerent, ut dubitari nequeat, quin Areopagita omnia dogmata christiana in systema quoddam redigere voluerit. Quod quum ex sequentibus satis patefactum iri speramus, monendum tamen est, maximam operum nostrorum partem perditam esse, atque ideo systema illud, quod secundum mentem auctoris restituere conati sumus, non ex omni parte fortasse concinnum, perfectum et absolutum videri posse, quia ex nostris aut alienis quidquam addere religioni habuimus. Quibus praemissis iam ad rem ipsam quam tractaturi sumus accedamus.

Theologia librorum Dionysiacorum.

7. Tanta est theologiae veritatis amplitudo, abundantia, maiestas, ut nemo forsitan de hac divina philosophia scribere quidquam aut loqui auderet, nisi constaret, eam utique quam assequi possumus rerum divinarum scientiam nullo modo esse negligendam. Atque id non solum naturalia mentium desideria, quae amore (ἐρωτικῶς) semper, quantum fas est ad divinarum rerum contemplationem excitantur, verum ipsa quoque legum divinarum praestantissima institutio persuadent, quae ut ea quae supra nos sunt et captum superant curiosius investigare vetat, ita iubet cum sacra reverentia modeste sancteque sursum evolare atque omnia quae permissa nobis sunt assidue addiscere benigneque aliis communicare. His itaque adducti neque ignavia neque labore a rerum divinarum scrutatione deterreri debemus, sed cum fiducia ad hanc divinam philosophiam accedere. (D. III, 3.) Atque ita rem ipsam tractabimus, ut

- A. quomodo ad Dei cognitionem et unionem ascendendum sit exponamus,
 B. de Deo Deique attributis seu nominibus,
 C. de Dei ad creaturas descensione agamus,
 universam scientiam divinam tribus hisce partibus complexuri³⁾.

A. De ascensione mentis ad Deum.

8. Quomodo ab hominibus et nominari et cognosci potest Deus, qui omni essentia et nomine maior neque sensu neque intelligentia percipitur et nihil eorum est quae sunt? An non potius vere dici potest, nos Deum neque nominare neque cognoscere posse? Respondendum, nos revera Deum non

³⁾ Divisionem hanc tripartitam auctoris menti omnino convenire certum est. Ultimo enim loco absolutis ceteris operibus mysticam suam theologiam tanquam praeambulam et compendium librorum ante scriptorum et manuactionem quasi ad cognitionem Dei composuisse sed non perfecisse videtur. Quae quum primae parti systematis nostri respondeat, secunda et tertia pars, quae reliquis auctoris nostri libris modo infra describendo tractantur, haud obscure distinguuntur his verbis: „θεῶν ὕπνον εἶναι τὸ ἐξηρημένον τοῦ θεοῦ καὶ ἀκοινώνητον ἀπὸ τῶν προνοουμένων“ (operationes divinae ad intra) ἐργήγορσιν δὲ τὴν εἰς τὸ προνοεῖν αὐτοῦ τῶν παιδείας ἢ σωτηρίας δεομένων προσοχὴν“. Ep. IX, 6. (operationes divinae ad extra.) Apertis verbis expressa haec divisio legitur D. II, 12.

cognoscere ex natura eius (*ἐκ τῆς αὐτοῦ φύσεως*) — id enim quod natura eius est, incognitum est et omnium rationem ac mentem superat — sed ex effectis tantummodo (*ἐκ πάντων τῶν αἰτιῶν* D. I, 5.), quia per bonitatem suam ipsum esse creans omnium rerum est causa; ex effectis et rerum ordine (*διάταξις*) ab ipso proposito et imagines quasdam ac similitudines exemplarium eius divinorum (*θεῶν αὐτοῦ παραδειγμάτων*) in se habente ad cognoscendum illum supra omnia eminentem (*εἰς τὸ ἐπέκεινα πάντων*) via et ordine pro viribus ascendimus in ablatione et in superlatione omnium et in omnium causa. „*ἐν τῇ πάντων ἀφαιρέσει καὶ ὑπεροχῇ καὶ ἐν τῇ πάντων αἰτία*“ (D. VII, 3.) Tribus ergo potissimum modis ad cognoscendum Deum ex effectis ascendimus:

1) auferendo ei quaecunque creata cernuntur, via negationis. (*ἀφαιρέσεις*.) Id quod fit verbis cum *ἀ* privativo compositis.

2) transferendo modo eminenti creaturarum perfectiones in Deum via eminentiae. (*ὑπεροχῇ*.) Id quod fit verbis cum *ὑπέρ* vel *αὐτό* compositis.

3) referendo qualitates rerum quasi effectuum ad Deum omnium causam via causalitatis. (*πάντων αἰτία*.) Id quod fit verbis ex *ἀρχή* vel *αἰτία* compositis.

9. Atque hoc ultimum theologiae genus tractandum est in theologia symbolica, in qua explicantur illa nomina divina, quae a rebus sensibilibus tanquam effectibus ad Deum relata sunt. (*αἱ ἀπὸ τῶν αἰσθητῶν ἐπὶ τὰ θεῖα μετωννμίαι*.)

Via autem eminentiae utendum est in theologia supernaturali et intellectibili vel spirituali, (in libris de divinis nominibus et de theologicis informationibus) in qua spiritualia Dei nomina (*νοητῆ θεωννμία*) explicantur, ita tamen, ut via causalitatis et negationis non omnino neglecta sit, sicut etiam in theologia symbolica via eminentiae interdum adhibita est. Atque hic videmus, sicut divus ait Bartholomaeus, theologiam esse copiosam et minimam; multo enim brevior theologia intellectilis quam symbolica. Quanto videlicet ad altiora contendimus, tanto magis sermones nostri rerum spiritualium aspectibus contrahuntur, sicut etiam dum caliginem illam, quae intellectum superat, ingredimur, non in breviloquentiam dumtaxat, verum etiam in silentium perfectum et intelligentiae defectionem incidemus.

Id quod in mystica potissimum theologia fit, in qua via negationis vel ablationis procedendum est. (M. III.)

Quo fit, ut Deus in omnibus cognoscatur (via causalitatis et eminentiae) et separatim ab omnibus (via negationis) et per cognitionem et per ignorantiam; non est enim aliquid eorum quae sunt, neque in aliquo eorum quae sunt cognoscitur, et in omnibus omnia est et nihil in ullo, et ex omnibus ab omnibus cognoscitur et a nullo ex ulla re. Sed quamvis optime per inscientiam apprehendatur, tamen etiam ex universo (*ἐκ πάντων*) cognosci potest, quoniam omnium effector est ordinisque indissolubilis causa, semper fines praecedentium cum principiis sequentium connectens, quo unice totius universi concordia et consonantia pulchre concinnatur, quemadmodum sacrae docent scripturae⁴). (D. VII, 3.)

10. In omnibus enim quae de Deo dicuntur et exponuntur non tam secundum creaturas et creatorum ordinem, quam secundum scripturas et scripturarum canonem procedendum est, neque ullo modo transgrediendae sunt sanctae scripturae leges et fines, ut veritas eorum, quae de Deo dicantur „non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione virtutis“ (1. Cor. 2, 4.) fundata sit, quam virtutem Spiritus sanctus theologis i. e. sacrae scripturae autoribus inspiravit, qua rebus ineffabilibus et ignotis modo ineffabili ignotoque coniungimur secundum eam unionem, quae omnem vim ratiocinationis et intellectus superat.

In universum ergo audendum non est neque dicere neque cogitare quidquam de supersubstantiali et abdita Deitate praeter ea, quae nobis in sacris oraculis (*λόγια*) indicata sunt divinitus. (D. I, 1.)

⁴) Cf. Sap. 7, 17. Prov. 8, 22. Rom. 1, 20.

11. Supernaturalis quippe eius indemonstrabilitas ipsa supernaturalem nobis scientiam tribuere debet ad cognoscendam divinam naturam, tribuitque eo magis, quo maiore sobrietate et sanctitate contemperamur. (D. I, 1.)

Ipsi autem viribus nostris ad Dei cognitionem pervenire non possumus, quamvis nonnulli Deum scire sibi videantur, Deum qui facit caliginem mansionem suam⁵⁾. Sicut enim ex rebus sensibilibus non possunt comprehendi spirituales, neque ex figuris figurata, eadem prorsus ratione super substantias est illa supersubstantialis infinitas et supra mentes illa supra mentem unitas et omnibus ratiocinationibus inscrutabile est illud supra ratiocinationem unum, intelligentia non intelligibilis (*νοῦς ἀνόητος*), ratio non effabilis, ratione, intelligentia, nomineque carens (*ἄλογον ἄνοον ἀνόνημον*) simul vero etiam multa et omnia nomina habens (*πολυώνυμος καὶ παντόνυμος*), omnibus praesens et ex omnibus invenianda, nullius rei similitudinem habens, causa quidem ut omnia sint, ipse vero non existens. (*αἰτία μὲν τοῦ εἶναι πᾶσιν, αὐτὸ δὲ μὴ ὄν.* D. I, 1.)

12. Attamen Deus, quamvis habitat in lumine inaccessio, benigne tamen nobis sui cognitionem communicavit, non quidem sicut angelis pura illustratione interiori et intrinseca, sed pro captu nostro per multitudinem signorum in oraculis suis venerandis, quae a sacris viris divino spiritu afflatis in scripturis sacris librisque theologicis tradita sunt. (E. I, 4.)

Et quum haec scripta utpote profecta a Deo simplici ac vere existenti veritate vera sint, iure meritoque circa hanc veritatem ut puram atque infallibilem universorum scientiam (*γνώσις*) fides divina (*πίστις*) versatur, infallibile fidelium firmamentum, fundans illos in veritate atque in illis veritatem, dum indissuasibili identitate (*ἀμεταπίστω ταυτότητι*) simplicem veritatis cognitionem res credendae praebent. (D. VII, 4.)

Quare etiam scriptura ipsa docente qui non crediderit non intelliget⁶⁾. Nam si cognitio res cognitae cum cognoscentibus unit, ignorantia vero ignoranti causa est ut semper mutet atque a se ipso discrepet, eum qui credit in veritate quique per immutabilis veraeque fidei veritatem ex errore excessit, nihil a vero fidei fundamento dimovebit, in quo constantiam habebit immobilis et immutabilis identitatis. Pro hac veritate maximi nostri divinae sapientiae praeceptores⁷⁾ quotidie moriuntur, testificantes uti par est, et sermone et opere singularem illam christianae veritatis scientiam omnium esse tum simplicissimam tum divinissimam, immo potius hanc solam esse veram atque unicam simplicem Dei scientiam. (D. VII, 4.)

13. Haec ideo scientia fide accipienda continetur in scripturis sacris, quas reperies ad declarandum nobis Deum et ad laudandum eum divina nomina formare secundum divinae bonitatis emanationes, unde edocemur vitam viventium, essentiam entium et causam, qua omnia producentur ut sint et continentur ne pereant. (D. I, 3—4.) „Omnis enim sacrae scripturae textus vel conditam a Deo rerum substantiam ac dispositionem, vel legalem hierarchiam ac politiam, vel hereditatum divini populi distributiones ac possessiones vel sacrorum iudicum regumve sapientum atque sacerdotum divinatorum prudentiam, vel priscorum virorum in tristium casuum varietate ac multiplicitate inconcussam patientiae philosophiam optime describit. Sacer tunc divinatorum carminum (psalmorum) liber, cui cuncta Dei opera eloquiaque celebrare necnon sacros divinatorum virorum tum sermones tum actiones collaudare propositum est, generalem introducit rerum divinarum cantum et expositionem. Deinde sacra scriptura sapientia rerum gerendarum praecepta vel amorum cantica divinatorum, imaginesque

⁵⁾ Cf. M. I, 2: *οἰομένους εἰδέναι τῆ κατ' αὐτοὺς γνώσει τὸν θέμενον σκότος ἀποκρυφῆν αὐτοῦ.* — Eiusmodi viros plebi non initiatae annumerandos esse censet autor.

⁶⁾ Cf. E. VII, 3, 1: *ἐὰν γὰρ μὴ πιστεύσουσι, ὡς τὰ λόγια φησιν, οὐδὲ μὴ συνήσουσι* — respicit autor ad Is. 7, 9: „Nisi credideritis, non permanebitis“.

⁷⁾ *οἱ τῆς κατ' ἡμᾶς θεοσοφίας ἀρχηγικοὶ καθηγεμόνες.* D. VII, 4.

divinas vel praesagas futurorum praedictiones, vel deiviriles Jesu operationes (*ἀνδρικός Ἰησοῦ θεουργίας*) eiusdemque discipulorum divinitus tradita et ad Deum imitandum conducentia vitae exempla et instituta doctrinasque sacras arcanamve illam mysticamque visionem discipuli dilecti divinique atque supermundialem Jesu theologiam iis qui divinitatis capaces sunt exponit⁸⁾. Atque in his libris sacrarum rerum contemplator uniformem quandam atque singularem advertet conspirationem utpote ab uno eodemque Dei spiritu concitatum (*ὡς ὑφ' ἐνὸς τοῦ θεαρχικοῦ πνεύματος κεκνημένην*) ordinemque pulcherrimum, quo vetus testamentum (*ἀρχαιότερα παράδοσις*) futura praedixerit, novum vero documentum (*ἡ καινὴ διαθήκη*) ipsamet divina Jesu opera exhibuerit, atque illud quidem quasi quibusdam imaginibus depinxerit veritatem, hoc vero praesentem demonstravit, quum praedictionum illius veritatem effectus huius comprobaverit divinique verbi operatio divina sit summa⁹⁾.

14. Hunc sacrum codicem omnino et ubique sequimur, et qui omnino sacris literis resistit a philosophia quoque nostra procul admodum abierit; scripturis enim insistentes pro virili ad divinos splendores aspiramus, quoniam inde divinas explanationes ceu quandam veritatis regulam pulcherrimam accipimus, dum quae ibi sunt recondita nihil addendo, nihil minuendo, nihil pervertendo in nobismet ipsis conservare nitimur atque ipsi interdum s. scripturae custodia conservamur. (D. I, 2.)

Absurdum tamen esset in s. codicis explicatione non verborum vim sed verba ipsa attendere ac premere; neque hoc proprium eorum, qui res divinas intelligere cupiunt, sed eorum qui sonos exiles aucupantes addicti sunt elementis et lineis, quae intelligi non possunt syllabisque et verbis incognitis, quae illorum intellectum minime feriunt sed extra circum labra et aures eorum perstrepunt, quasi non liceat quatuor per bis duo significare, quum recta ratio doceat elementis, syllabis, dictionibus, scriptis nos uti propter sensus, adeo ut quum anima nostra intelligendi facultatibus fertur in ea, quae intellectu percipiuntur, tum frustra sensus una cum sensibilibus adhibeantur sicut etiam vires intelligendi, quando anima iam deiformis effecta per ignotam unionem lucem inaccessam sine oculis vidit. Quando autem mens per sensibilia studet ad contemplatrices intelligentias excitari, perspicaces sensuum traiectiones (*διαπορθμεύσεις*) necessariae sunt, non imagines obscurae¹⁰⁾. Neque tamen hac de causa divina scripta ullo modo sunt immutanda, sed melius tantummodo hac via praecedentibus intelliguntur. (D. IV, 11.)

15. Verum enimvero non minori sed eodem modo veneranda sunt etiam illa oracula, quae ab iisdem viris sanctis (sc. hagiographis) subtiliori quadam et angelis propinquiori insinuatione¹¹⁾ de mente in mentem mediante verbo, corporeo quidem sed immateriato sine scriptione, institutores nostri sunt edocti. (D. I, 4. II, 4. C. II, 3. et 5.)

Quae quidem traditio apostolica duplex utique est, altera quidem arcana et mystica, altera vero aperta et manifestior, illa quidem symbolica et ad mysteria pertinens, haec vero philosophica et demonstrans ita ut ineffabilia cum effabilibus coniuncta sint (*τῷ ὁρητῷ τὸ ἀόρητον*). Atque haec quidem

⁸⁾ Cf. E. III, 3, 4 et ib. I, 4: „σεπτότατα δὲ λόγια ταῦτά φαμεν, ὅσα πρὸς τῶν ἐνθείων ἡμῶν ἐροτελεστών ἐν ἀγοράφοις ἡμῶν καὶ θεολογικαῖς δεδώρηται δέλτοις. Variis nominibus scripturae sacrae in libris nostris passim nominantur aut „divina illustratio“ (*θεῖα ἐλλάμψις* C. I, 1.) aut „sacratissimorum a patribus traditae eloquiorum illustrationes“ (*τῶν ἐρωτάτων λόγων πατροπαράδοτοι ἐλλάμψεις* C. I, 2.) aut „divini Patris illustratio“ (*τοῦ θεαρχικοῦ πατρὸς φωτοδοσία* C. I, 1.) vel a Deo tradita oracula“ (*θεοπαράδοτα λόγια* E. I, 4.) vel „sanctus theologorum sermo“ (*ἱερά τῶν θεολόγων ἐρολογία* D. I, 4.) vel „sermo divinus“ (*ἡ θεολογία* E. I, 1.) cf. etiam D. I, 4, 6, 7, ubi nomina *θεολογικὴ πραγματεία*, *θεοσοφία*, *τὸ λόγιον* inveniuntur.

⁹⁾ Cf. E. III, 3, 5: *καὶ ἔστι τῆς θεολογίας ἡ θεουργία συγκεκριλαίωσις.*

¹⁰⁾ Cf. D. IV, 11.

¹¹⁾ Cf. E. I, 4: „καὶ ὅσα πρὸς τῶν αὐτῶν ἐρωτῶν ἀνδρῶν ἀῦλωτέρα μνήσει καὶ γείτονί πως ἦδη τῆς οὐρανίας ἱεραρχίας, ἐκ νοῦς εἰς νοῦν διὰ μέσου λόγου, σωματικοῦ μὲν, ἀῦλωτέρον δὲ ὁμως, γραφῆς ἔκτος, οἱ καθηγημένοις ἡμῶν ἐμνήθησαν“.

demonstrant et astringunt veritatem eorum quae dicuntur, illa vero (se. ineffabilia) efficiunt et confirmant in Deo per eas quae doceri non possunt institutiones¹²⁾! Par enim erat ut non solum sancta sanctorum servarentur vulgo inaccessa (Math. 7, 6.) et intemerata, sed ut ipsa vita humana, quae individua simul et dividua est, lucem divinae cognitionis convenienter caperet et ea pars animae, quae a patendi necessitate libera est, simplicibus et intimis divinarum imaginum speciebus contemplandis destinaretur; illa vero quae passionibus subiecta est, ut naturae eius convenit, sanaretur simul et in divinissimas res per typica symbola artificiose eis obducta protenderetur. Quae symbola cognata sunt et rebus quas significant apta integumenta (*παραπειάσματα*), quemadmodum declarant qui audita aperta theologia sine velaminibus effingunt in se typum quandam, qui illos ad praedictam theologiae intelligentiam manuducat. (Ep. IX, 1.)

16. Sic vero sancti illi et divino spiritu pleni viri, a divina bonitate missi, ut in posteros quoque divinum illud munus derivarent, sensibilibus figuris et symbolis supercoelestia, variis et multis unita, humanis divina, materiatis immateriata — tam scriptis quam non scriptis institutionibus nobis tradiderunt¹³⁾ figuris et formis usi tum similibus et consonis tum dissimilibus et absonis. Quare non solum sub veritatis et lucis, sed etiam sub vermibus et lapidis speciebus prorsus absonis Deus in sacra scriptura infertur, ut nec immundis (*βεβήλοις*) divina sint obvia, neque studiosi divinarum figurarum contemplatores formis istis tanquam veris immorentur, sed propter discrepantium formarum deformitatem ad omnes materiales affectiones deserendas excitentur assuefiantque a rebus visibilibus ad supramundiales anagogias seu ascensus aspirare¹⁴⁾. (C. II, 5.) Huc accedit, quod nihil eorum quae existunt boni participatione penitus est privatum, quum, ut ait Veritas, omnia bona valde. (C. II, 3.)

Sic ergo figurae illae dissimiles et absurdae melius quam similes et aptae superiorem animae nostrae partem stimulant (*τὸ ἀνωφερὲς τῆς ψυχῆς*) ut via causalitatis relicta ab omnibus imaginibus et nominibus sensibilibus memoriam nostram purgantes ad spiritualia Dei nomina reservanda perveniamus, quae sensu utique eminenti a Deo praedicantur. (M. IV. D. VII, 1.) Elaborandum autem est praeter ceteris ut divina mente deiformes contemplationes intueamur — (*θεοπικῆ διανοία ἐποπιεύσωμεν*) et, quod in omni theologia lex semper praecipit, sacras aures sacris divinatorum nominum interpretationibus adhibeamus. Sanctis enim sancta proponenda esse divina traditio (*ἡ θεία παράδοσις*) docet, unde etiam a profanorum irrisionibus illusionibusque haec vindicentur, ne res divinae coram imperfectis divulgentur. (D. 1, 8.) Merito enim dicitur ad spiritualium eloquiorum intuitionem et eruditionem virtute probata (senili) opus esse; sermonum vero introducentium ceu inferioris notae scientiam (theologiam symbolicam) initiantibus atque initiatis convenire. (D. III, 2.)

17. Atque ad hanc cognitionem divinam si pervenire volumus, oportet nos primum orationibus ad Deum, ut ad boni principium adduci ac deinde magis ipsi appropinquantes edoceri optima quaeque munera, quae penes ipsum sunt collocata. Nam ipsa quidem bonitas divina praesens adest omnibus, non autem illi adsunt omnia. Sed quum eam sanctis precationibus et mente tranquilla et ad divinam unionem accomodata deprecamur, tum demum etiam nos ei praesentes sumus; ipsa enim non ita in loco quodam est, ut usquam alibi absit, vel ex aliis ad alia migret. Quinimmo si dicimus in omnibus rebus ipsam esse, non prorsus accedimus ad eius infinitatem, quae et excedit et continet omnia.

Nos ipsos itaque orationibus ad sublimiorem divinatorum radiorum contuitum comparemus, quemadmodum si lucidissimam catenam e summo coelo suspensam et hucusque demissam manibus alternis in anteriora

¹²⁾ E. IX, 1. καὶ τὸ μὲν πείθει καὶ καταδείτῃ τὴν ἀλήθειαν, τὸ δὲ δρᾷ καὶ ἐνυδρῶει τῷ θεῷ ταῖς ἀδιδάκτοις μυσταγωγίαις.

¹³⁾ Cf. E. I, 5.

¹⁴⁾ Cf. C. II, 5 ubi hac via ad profundiorē fidei cognitionem se pervenisse autor ipse testatur. — M. II.

protensis continenter arriperemus, attrahere quidem ipsam videremus, re ipsa autem non illam ipsi deducemus, ut quae superne et inferne praesens esset, sed ipsimet magis ad sublimiores radiorum illustrium fulgores eveheremur. — Aut sicut si navim ingressi rudentes ex petra quadam ad nos usque porrectos auxilii causa teneremus, non ad nos petram sed nos ipsos revera navimque ad petram traduceremus. — Quemadmodum etiam rursus si quis stans in navi maritimum saxum impellat nequidquam saxum illud fixum et immobile movebit, sed se ipsum ab illo repellet, quantoque vehementius illud impulerit, tanto longius ab eo removebitur. Quapropter ante omnia maxime in theologia ab oratione auspiciandum est (*διὸ καὶ πρὸ παντὸς καὶ μᾶλλον θεολογίας εὐχῆς ἀπάρχεσθαι χρεών*), non ut ubique et nusquam praesentem virtutem attrahamus, sed ut divinis commemorationibus invocationibusque nos ipsos illi dedamus atque uniamus. (D. III, 1.) Etenim essentia illa cuius odoris suavitas omnem mentem superat vel ab igneis purissimisque angelis ad sui manifestationem per ardentissimas orationes invitari amat, divinissimasque suas inspirationes luculentissimis suis distributionibus impertit illis, qui sic illam supramundialiter invitaverunt. (E. IV, 3, 10.) Quanto magis ergo nobis ferventissimis utendum erit precibus, ut ad veram Dei cognitionem unionemque perveniamus. Quibus usi si cum sacra reverentia modeste sancteque evolamus, spes nostra non falletur, quinimmo iam hic in terra fides et scientia nostra visionis cuiusdam lumine perficietur.

18. Etenim etiam haec quae perfectionibus humanis et spiritualibus analogice, sensu tamen eminenti, de Deo praedicantur, i. e. spiritualia Dei nomina non minus quam sensibilia illa priora, tollenda sunt atque neganda, ut mens nostra (*νοῦς, διάνοια*) vere divino lumine illuminata ad veram, quomodo fieri potest, Dei cognitionem pervenire et symbolis figurisque amotis divina mysteria ipsa in se nuda puraque intueri possit¹⁵). Omnis enim humana cogitatio error quidam est, si cum divinarum intelligentiarum (i. e. angelorum) firmitate comparetur¹⁶) et si more nostro divina cum rebus nostris conferamus, fallimur, quum scire debeamus intellectum nostrum (*νοῦν*) intellectilia (*νοητά*) quidem intelligere posse, illam vero unionem, qua rebus se superioribus coniungitur, naturam ipsius longe superare. Unde divina intelligenda sunt non more nostro, sed ita ut nos totos a nobis totis abdicemus, et totos Deo nos demus amore ecstático¹⁷); siquidem longe praestat nos Dei esse quam nostros. Sic enim nobis divina dari poterunt, si cum Deo fuerimus coniuncti non memoria tantum et intellectu, sed voluntate quoque et dilectione¹⁸). Et quidem accedendum est ad patrem per Jesum Christum, cuius vita et virtutes imitandae sunt nobis, sicut pictoribus prototypa¹⁹).

19. In mysticis ideo contemplationibus intenta exercitatione et sensus relinquendi sunt (*αἰσθήσεις*) et intellectuales operationes (*νοεραὶ ἐνέργειαι*) et omnia intelligibilia et sensibilia (*αἰσθητὰ καὶ νοητά*) et omnia quae sunt et non sunt, ut ad unionem eius qui supra essentiam et scientiam est, prout fieri potest, indemonstrabiliter (*ἀγνώστως*) assurgamus. Siquidem per liberam et absolutam et puram nostri ipsius et omnium rerum abdicationem (*τῆ ἐαυτοῦ καὶ πάντων ἐκστάσει*) ad supernaturalem illum divinae caliginis radium detractis omnibus et ab omnibus detracti profecto vehemur, (M. I, 1.) dummodo ne sublimius, quam pro captu nostro divina fert illustratio, insolenter aliquid praesumamus nec in praeceps perversa propensione labemur, sed constanter et irreflexis oculis illucescenti radio

¹⁵) Cf. E. IX, 1. M. I, 1.

¹⁶) *Πᾶσα ἀνθρώπινη διάνοια πλάνη τίς ἐστι κρινομένη πρὸς τὸ σθατερόν καὶ μόνιμον τῶν θεῶν καὶ τελειωτάτων νοήσεων.* — Cf. D. VII, 1.

¹⁷) Cf. D. VII, 1: *ἐαυτοὺς ἐαυτῶν ἐξισταμένους καὶ ὁλοὺς θεοῦ γιγνομένους.*

¹⁸) Cf. D. IV, 13—16. VII, 1.

¹⁹) Cf. E. IV, 3, 1.

obtueamur necnon illo amore (*ἔρωσ*) qui indultis nobis collustrationibus respondeat modeste sancteque evolemus²⁰).

20. Quae tamen ne quis audeat eorum qui, rebus adhaerentes et nihil ultra naturalia (*ὄντα*) superessentialiter imaginantes, sua cognitione eum nosse arbitrantur, qui posuit tenebras latibulum suum, (Ps. 17, 3.) nedum illorum profanorum (*ἀμύστων*), qui supereminentem omnium causam ex iis quae in natura rerum extrema sunt designant! Oportet enim in illa omnes quidem rerum affirmationes — et sensibiles et intellectiles — statuere et affirmare (*καταγράφειν*), rursus vero et quidem melius negare (*ἀπογράφειν*), quia super omnia existit illa causa multo prior et superior ipsis privationibus et supra omnem ablationem et positionem²¹).

Quo fit ut theologia abdicativa (*ἀποφατική*) propius accedat ad veritatem quam theologia addicativa (*καταφατική*) meliusque quam via causalitatis (multiloquae) et eminentiae (breviloquae) ad Dei cognitionem perveniatur via negationis, quae nullius est sermonis, aut via inscientiae, in unione videlicet superintellectuali (*ὑπὲρ νοῦν*), quando mens a rebus omnibus recedens ac demum semetipsum deserens (Gal. 2, 16.) radiis desuper fulgentibus unitur et in divinae sapientiae inscrutabili sinu illustratur²²).

Per omnium enim quae non sunt Deus ablationem optime Deum sine notione cognoscimus, sicut sculptores, qui per materiae ablationem statuas perficiunt et occultas earum pulchritudines manifestant. (M. II.) Eodem modo etiam Deus ineffabilis absque operimentis ac vere ostenditur solis iis, qui cuncta quae impura quaeque pura sunt (sensibiles imagines) pertranseunt et omnia divina lumina et sonos et sermones coelestes (intellectiles sermones) relinquunt et in caliginem absorbentur, ubi divina passi non solum cognoscent sed possidebunt etiam eum qui vere est, qui est ultra omnia²³).

21. Sic divinus Moyses expiari primum ipse iubetur ac deinde a non expiatis segregari (via purgatoria) et post omnem expiationem audit multisonas tubas cernitque multa lumina puros ac multiplices radios iacencia (via illuminativa); postea a multitudine separatus cum electis sacerdotibus ad summum fastigium divinorum ascensuum pervenit. At ne tunc quidem cum ipso versatur Deo nec eum videt, sed locum tantum ubi stetit; ipse enim Deus videri non potest. (2. Mos. 19, 20; 21. 33, 23.) Unde patet summa eorum, quae sensibus et intellectu percipiuntur, rationes quasdam (*λόγους*) esse, quae subiecta sunt ei, qui universis antecellit, quibus praesentia ipsius, quae omnem cogitationem mentis nostrae vincit, declaratur, insistens tanquam in vestigiis summis intellectilibus locorum eius sanctissimorum. Deinde vero mens ab iis ipsis quae videntur et ab iis quae vident absoluta et expedita in caliginem vere mysticam i. e. in caliginem inscientiae ingreditur, in qua omnibus scientificis apprehensionibus exclusis in Deo invisibili et inaccessio haeret, tota existens illius, qui est ultra omnia, neque ullius, neque sua, neque alterius, cum eo autem qui est penitus incognoscibilis per vacationem omnis cognitionis secundum meliorem partem copulata et eo ipso quod nihil cognoscit supra mentem cognoscens (via unitiva). M. I, 3.


²⁰) Cf. D. I, 2 et IV, 11—18, ubi longa amoris descriptio legitur; item Gal. 2, 16 et 1. Cor. 1, 25.

²¹) Cf. M. I, 2. — Non enim quod affirmatio affirmat, hoc ipsum negatio negat, quinimmo sicut affirmatio non ponit quid sit Deus, sic neque negatio tollit quid sit Deus. Quod enim non ponit quomodo tollat. Cf. Cord. II, p. 10.

²²) Cf. M. I, 2. D. VII, 3 et C. II, 3: „εἰ τοίνυν αἱ ἀποφάσεις ἐπὶ τῶν θεῶν ἀληθεῖς, αἱ δὲ καταφάσεις ἀνόμοστοι τῇ κρυφιώτητι τῶν ἀποδείξεων οἰκειότερα μᾶλλον ἐστὶν ἐπὶ τῶν ἀοράτων ἢ διὰ τῶν ἀνομοίων ἀναπλάσεων ἐκφαντορία.

²³) M. I, 2—3. D. II, 9: οὐ μόνον μαθὼν ἀλλὰ καὶ παθὼν τὰ θεῖα et D. IV, 11.

22. Tu autem, Trinitas supernaturalis, quum ex nobis hoc praestare non possimus, Trinitas divina et superbona, divinae Christianorum sapientiae auctrix (*τῆς Χριστιάνων ἔφορε σοφίας*), dirige nos ad mysticorum oraculorum superindemonstrabile et superlucens fastigium, ubi simplicia et absoluta et immutabilia sacrae scripturae (*τῆς Θεολογίας*) mysteria aperiuntur in caligine lucidissima silentii arcana docentis, quae in summa obscuritate plusquam clarissime superlucet et in prorsus inaccessa praepulchrorum splendorum invisibilitate mentes oculis captas divino superadimplet lumine. M. I, 1.



LECTIONES.

A. ORDINIS THEOLOGORUM.

Dr. Andr. Menzel, P. P. O. h. t. Decanus.

- I. Apologetices reliquam partem tradet diebus Lunae et Mercurii hora II.
- II. Doctrinam de universorum creatione et de angelorum hominumque lapsu exponet diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris hora IX.

Dr. Franc. Hipler, P. P. O. Des.

- I. Theologiae pastoralis partem alteram docebit quinquies per hebdomadem hora VIII.
- II. Ius matrimoniale tradet diebus Lunae, Mercurii et Veneris hora IX.
- III. Exercitationes catecheticas et paedagogicas moderabitur diebus Martis et Jovis hora IX.

Dr. Franc. Dittrich, P. P. E.

- I. Theologiae moralis partem specialem docebit diebus Lunae, Martis, Mercurii et Veneris hora XI.
- II. Repetitorium et disputatorium de rebus ad theologiam moralem spectantibus instituet die Saturni hora XI.
- III. Historiam ecclesiasticam saeculi XVI. enarrabit tribus per hebdomadem horis definiendis.

Lic. Hugo Weiss.

- I. Iobi librum interpretabitur ter per hebdomadem hora VIII.
- II. S. Pauli ad Romanos epistolam explicabit ter per hebdomadem hora VIII.

B. Ordinis Philosophorum.

Dr. Jos. Bender, P. P. O. h. t. Decanus.

- I. Historiam recentiorem inde ab aetate Ludovici XIV. tradet ter per hebdomadem hora VIII.
- II. De praecipuis historicis eorumque scriptis disseret bis per hebdomadem.
- III. Repetitiones historicas instituet semel per hebdomadem hora definienda.
- IV. Literarum in Prussia cultarum historiam exponet semel per hebdomadem h. VIII.

Dr. Laur. Feldt, P. P. O.

- I. Aut Trigonometriam geographicam i. e. Trigonometriam planam, sphaericam et sphaeroidicam ex libro: v. Sniadecki's sphaerische Trigonometrie mit Anwendungen auf die Ausmessung der Erde und die sphaerische Astronomie übersetzt von L. Feldt tradet, aut Theoriam sectionum conicarum explanabit diebus Lunae et Jovis hora II.
- II. De Chronologia et de Calendario Juliano et Gregoriano disseret diebus Lunae et Jovis hora XI.
- III. Meteorologiam et Climatologiam docebit et usum instrumentorum meteorologicorum ac praxin observandi ostendet diebus Martis et Veneris hora XI.

Dr. Frid. Michelis, P. P. O.

- I. Psychologiam docebit quater per hebdomadem hora X.
- II. Grammaticae philosophicae lineamenta tradet bis per hebdomadem hora X.
- III. Aristotelis Metaphysicam interpretabitur bis per hebdomadem hora III.
- IV. Familias plantarum naturales demonstrabit horis def.

Dr. Guil. Weissbrodt, P. P. E. Des.

- I. F. Lucretii de rerum natura libros IV.—VI. bis per hebdomadem.
- II. Aristotelis de politica libros item bis enarrabit.
- III. De architectura Graecorum ter disseret.
- IV. Exercitationes philologicas bis instituet.

Dr. Jos. Krause.

- I. Psychologiam tradet quater per hebdomadem hora IX.
- II. Historiam philosophiae medii aevi exponet bis per hebdomadem hora IX.

Publica doctrinae subsidia.

Bibliotheca Lycei Regii, cui praeest Prof. Dr. Menzel, commilitonibus patebit diebus Martis et Veneris h. II.—III.

Instrumenta, quae ad physicen, mathematicam et astronomiam pertinent, custodit Prof. Dr. Feldt.

CERTAMEN LITTERARIUM ET PRAEMIA.

Renuntiatio iudiciorum de certamine litterario a commilitonibus Lycei Regii Hosiani anno superiore inchoato et quaestionum in currentem annum propositarum promulgatio.

Ordo Theologorum pro certamine litterario has quaestiones proposuerat:

- I. Ex instituto Regio: „Patrum apostolicorum de Ecclesia doctrina proponatur“.
- II. Ex stipendio Scheill-Bussiano: „De Gersonio catecheta“.

De priore quaestione opusculum traditum est ita inscriptum: „Interroga patrem tuum et annuntiabit tibi majores tuos et dicent tibi“ Deuter. XXXII., 7.

Auctor dissertationis totam disquirendi et disserendi rationem eo turbavit, quod doctrinam de Ecclesia, quae nunc viget, e patrum apostolicorum dictis demonstrandam sibi proposuit. Unde factum est, ut ibi magis communia principia et notiones, quam ipsa Ecclesiae imago sanctorum patrum ingenio et colore depicta appareat. Ceterum quaestionem magna facilitate et dexteritate pertractavit, ita ut praemio constituto dignus omnino praedicandus sit.

Aperta schedula innotuit:

J. Glinkiewicz, stud. theol.

De altera quaestione exhibitus libellus his verbis inscribitur: „Sinite parvulos venire ad me et nolite prohibere, talium enim est regnum coelorum“. Matth. XIX., 14.

Auctor de Gersonio catecheta perspicue, scite ac diligenter tractavit remque propositam ita absolvit, ut optimo jure praemio dignus appareat.

Reclusa charta prodiiit:

Ferdinand. Spiring, stud. theol.

Ordo Philosophorum hanc quaestionem proposuerat philologicam:

„Sophoclis de officiis sententia exponatur ita, ut de virorum doctorum commentationibus Sophoclii iudicium fiat“.

Subjecta est Ordini commentatio verbis insignita hisce:

Οὔτοι συνέχθειν, ἀλλὰ συμφιλεῖν ἔθουν. Antig. 523.

Qui conscripsit, Sophoclis illud, quo commentationem signavit, ita in suum usum transtulit, ut a sententia de sententiis virorum doctorum ferenda nimis sese abtineret alteramque partem quaestionis non ea qua opus erat cura tractaret; in priore diligenter et subtiliter versatus est. Scripsit dilucide et si a paucis locis discesseris, pure atque emendate. Quapropter praemium ei persolvendum esse Ordo censuit.

Aperta charta innotuit:

Paul. Romahn, stud. theol.

In sequentem annum commilitonibus Lycei Regii Hosiani quaestiones proponuntur hae:

Ab Ordine Theologorum.

- I. Ex instituto Regio: „Clementis Alexandrini de divitiis sententia ex libello ejus, qui inscriptus est: *Τίς ὁ σωζόμενος πλούσιος* eruatur et ponderetur“.
- II. Ex Stipendio Scheill-Bussiano: „Concilium Constantiense quatenus oecumenicum habendum sit, ex ipsis fontibus et scriptorum monumentis dijudicetur“.

Ab Ordine Philosophorum.

Ex instituto Regio: „Ordo Teutonicus quomodo Prussiae dominatum contra Christianum Episcopum atque contra Conradum Masoviae et Suantopolcum Pomeraniae Duces obtinuerit et quae tandem necessitudo condicionesque Ordinem inter et Prussiae Episcopos imprimis Warmiensem constitutae sint, diplomatibus aliisque fontibus adhibitis et uniuscujusque partis jure disceptato exponatur“.

Certantium commentationes sermone latino scriptae et more consueto signatae ante d. XV. Januarii a. MDCCCLXXII Rectori Lycei tradendae sunt. Praemia victoribus constituta XXV Imp.

Promulgatum in solemnibus **Imperatoris et Regis Serenissimi Guilelmi I.** nataliciis die XXII. Martii anni MDCCCLXXI.

Stadtbibliothek Thorn